Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 12. Februarii.

M. JOSEPHO THOMASSEAU, Doctore Medico, Præſide.

An vivat miſerè qui vivit medicè?

NATURA duplex univerſalis & particularis, prima eorum omnium quæ ſunt opifex & conſervatrix, Deus eſt: altera, ſeu particularis eſt unum quodque ens ſeorſim ſumptum, quod vel cogitat & dicitur mens, vel molem habet, & corpus appellatur. ...us vel ſui juris eſt, vel alteri ſubſtantiæ unita. De primâ non diſſerunt Phyſici, de ſecundâ multum diſputant, & adhuc lis ſub judice pendet. Tam diſcrepantes naturæ mens & corpus in unum hominem coeunt, eâ conſociationis lege ſancitâ, ut à nonnullis corporis motibus certæ in animo cogitationes, certive ſenſus excitentur. Rationem commercii nemo novit. Supremum numen cui omnia ſubjecta ſunt, & à quo ſingula pulcherrimè geruntur, hominem præ cæteris animantibus reſpexit felicius, hujus ſtructuram pluribus ut habilem redderet, majori contexuit artificio. Iiſdem ferè cum brutis voluit conſtare principiis, fibrillis variè diſpoſitis, & humorum ſerie diversâ. Omnium animantium vincit hominis figura. In illâ intuere quàm ad uſum, quàm ad venuſtatem apta ſint ſingula. *Omnibus ornatum voluit excellere rebus.* In ovo quibuſdam (nec abſurdè forſitan) deliteſcere primùm videtur, quod ſeminis virilis afflatu fœcundatum in uterum delabitur, tum explicatur. In utero fœtus creſcit, vivit, non unâ ratione nutritur, grandior & liberioris auræ impatiens exitum quærit, vehementèr agitatur ut illum ſibi paret, huic non obſiſtit mater, quæ diverſos conatus exerit fœtui foràs ejiciendo non inutiles; ſcilicet abdominis muſculi, diaphragma, nec non ipſe uterus, cujus fibræ non ampliùs extendi valentes fortiter conſtringuntur, ſimul conſpirant. Ubi natus eſt, habet à naturâ quod blando labrorum & linguæ motu lac ſugat è mammis, quod matrem agnoſcat, quod diverſas obeat functiones naturales, animales tunc temporis admodùm imbecilles. Huc-uſque animam dixeris otioſam, ſi de corporis formatione & perfectione ſollicitam velis; qui animam dixerit omnia quæ ſunt corporis providentem, animadvertentem ſingula, aut ad ſe pertinere putantem, curioſam & plenam negotii, illam intueatur in infantili corpore pueriliter occupatam; vel ſeneſcentem in ſilicernio. Certa requiritur organorum perfectio ut mens in corpore agat, ſi deſit, impedita deliteſcit ſine honore. Corporis numeris omnibus abſoluti œconomiæ tum præeſt ſpiritalis anima, eâ lege ut functionum naturalium principale dominium penès ipſam non maneat; undè illæ animâ non attendente, vel aliud agente, non deſinunt: animæ tamen in univerſum corpus autoritas eſt ſingularis, cujus indicium non leve animi pathemata. A brutis homo differt quod ratione polleat; habet cum illis quod vivat, nutriatur, creſcat & generet. Dedit natura belluis ſenſum & appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales paſtus capeſcendos, altero ſecernerent peſtifera à ſalutaribus, utrumque non homini negavit cui majora conceſſit; utrique bruta vel nunquam, vel raro reſiſtunt, & ideò felicitèr ut plurimùm vivunt. Eadem homini offertur felicitas, prudens acquieſcit, imprudens negligit, contemnit malè ſanus.

HOMINIS ſtructura mirabilis, ex illâ prodeunt, continuantur, & abſolvuntur motus omnes ad vitam neceſſarii; æquabiles, conſtantes tum generationis, tum incrementi & perfectionis. Hanc, naturam hominis appello cujus leges ad benè beatéque vivendum plurimùm poſſunt. Sanus eſt qui functionum omnium, ſive naturalium, ſive animalium ſingula obit munia alacritèr; utriſque debitè exercendis partes dicantur ſolidæ & fluidæ, ſolidæ quidem fibrillis conſtant quæ è veſiculis aut Rhombis minutiſſimis oblongâ ſerie catenatis conflatæ ductiles ſunt & vi reſiliendi præditæ: fluidæ variæ ſunt indolis & ex infinitis propè particulis omnis figuræ, globoſis, angulatis, oblongis, cylindricis in motum actis componuntur. E ſolidis compinguntur viſcera, muſculi, oſſa, membranæ, &c. Fluidæ, ſunt humores, quorum triplicem motum, ſi novit vetus medicina, non docuit recentiorem, quæ rationi & experientiæ unicè ſerviens, utriuſque beneficio multa invenit illi incognita. Motus ille vel eſt totius molis externus qui dicitur circuitionis, vel eſt internus, à quo fluiditas; vel inteſtinus liquorum fermenteſcentium proprius: huic debentur humorum ſecretiones, *filtrationes*, & præparationes omnes. Liquorum præcipuus ſanguis, è cujus penu cæteri in diverſis viſceribus ſecernuntur, ope cribrorum & juvantibus fermentis: à ſanguine ſeparati liquores diverſi huic iterùm affunduntur ad varios uſus. Sanguis è chylo, chylus ex alimentis omnis generis in ore primum ſalivâ imbutis, & dentium colliſione minutim conciſis, tum verò in ventriculo ope ſuccorum diſſolventium, qui è glandulis interioris membranæ ſcaturiunt, in liquorem pultaceum immutatur. Priuſquàm canalem thoracicum ſubeat, utrâque bile, & ſucco pancreatico imbuitur, quibus à partibus craſſioribus ſeparatur & in chylum puriorem faceſcit. In venâ ſubclaviâ primùm ſanguini affunditur, tum dextrum cordis ventriculum ſubit, hinc ſubſtantiam pulmonis ingreditur, in quâ particulis aëreis nitro-ſulphureis purioribus impraegnatur, à craſſioribus conteritur & rutilus evadit. Poſteà verò per venam pulmonarem ſiniſtrum cordis ventriculum repetens, novæ præparationi committitur, dum cor contrahitur ope fibrarum, quibus inſtruitur, ſanguinem vehementèr per utrumque aortæ truncum pellit ad partes, in quibus obeundis functionibus deſtinatur. Quidquid igitur in corpore humano peragitur, hujus ſtructuræ debetur & motui: utrique præeſt anima dum corpori divino fædere copulatur: ſic illius motibus afficitur ut languente torpeat, benè habente vigeat; viget corpus dum humorum generatio debitè perficitur, dum bellè nutriuntur partes ſolidæ, & canales liquoribus ubique corporis devehendis apti nec patentiores ſunt, nec impervii, aut impediti; unde ſpiritus & humores facilè diſtribuuntur. Hæc Medico qui de ſanitate tuendâ ſollicitus eſt, apprimè tenenda, ab his quippe ſanitas, in quibus hominis natura conſiſtit.

MEDICINA ars præſtantiſſima, ars divina. Dum vigebat naturæ micantis aurea ſimplicitas, tenuis erat & exigua medicinæ ſuppellex, multiplex ea nunc plerumque ingloria, propter effrænatam in victu libidinem, hæc olim vix neceſſaria: malo ingraveſcente in tres diducta eſt partes, διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, & χειρουργικὴν. Quælibet harum in eo poſita eſt ut naturam imitetur operando, citra naturæ concurrentis auxilium fruſtranea eſt Medici cura, & inutilis labor; leges naturæ fundamenta medicinæ, hæc illius interpres, & vicaria; quæ circa res non naturales præſertim occupatur, dicitur διαιτητικὴ. *Hæ ſunt aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, ac demum animi pathemata.* His utatur homo, natura præſcribit, abuti vetat: communes ſunt brutis & homini; in his naturam obſervat Medicus, ut illam ſciat, ſcit ut imitetur. Sanitas Medici votum: modo hominem in utero matris deliteſcentem tuetur, matri quædam præſcribendo convenientia, quæ ſi obſervet, fœtus materque benè habent, ſi omittat, uterque gravioribus afficitur incommodis. Hunc è ſinu matris prodeuntem, & naturæ commiſſum non deſerit, ſed huic attentiùs invigilat, ne fortè ſi natura deficeret aliundè oppreſſa, ipſe longius abſit opem allaturus; protegit grandiorem, naturæ veſtigiis ſemper inhærendo, ſicque moderatur ut ejus appetitui aut vitiato, aut immodico non obtemperet mollitèr aſſentiendo, ſed reſiſtat prudentèr reprimendo. Illi præſcribit in ætate vegetiori conſtituto quid agendum ſit, quidve fugiendum, ut benè habeat. Hoc autem quod ſuadet, natura jubet, ratio poſtulat. Sanus homo nullis ſe obligare legibus debet, ſed naturam ſequatur. Quæ firmis conveniunt, varium vitæ genus, labor, convivia, venus, nec rarior, nec immodica, eadem nocent imbecillis; undè plura his obſervanda ſunt, ut in infirmo corpore ſanitas diutiùs perſeveret. Caveant imprimis gulæ veneriſque exceſſus, ne in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumantur. Diverſos diverſa juvant, res priùs apta modo nocet; non omnibus juvenile decus, ſed quoſdam premit dura vitæ conditio, dura propter violatas naturæ leges. Has obſervari curat Medicus, dum rerum non naturalium uſum temperat, juvante Medico miſeranda ſenectus faciliùs ſuſtinetur, & quæ ſingula ineluctabili conficit malo ultima ingraveſcens ætas redditur per illum minùs odioſa; ille moderatur animi pathemata quibus corpus vehementiùs commotum contabeſcit, & brevi conſumitur. Felix qui valet illa citiùs componere, qui enim comitatur animi pathemata humorum æſtus, & ſpirituum agitatio, vel tenſio, gravioribus ſolet afficere corpus incommodis. Medicus igitur naturam operantem intuetur, huic bene habenti invigilat, non eam dirigit, ſed oppreſſam tuetur, nihil agit ſine illâ, ſed ab ipsâ mutuatur undè & quomodo agat.

OMNIBUS ut vivant aëris inſpirandi æqua neceſſitas, purus, liber &c. ſanitatem parit, impurus mortem accelerat, venenatus enecat. Diverſum diverſa inſpirant animalia, præter lacus ſodomæ, & gomorrhæ, quilibet corruptus, licet & craſſus propriis floret incolis. Homo faciliùs diverſo aëri aſſueſcit, fortè non impunè. Cibus & potus nutritioni ſerviunt, & accretioni; reparant vires proſtratas vigiliâ, & exercitio; εὔχυμοι, citò & abundè utrumque perficiunt, digeruntur faciliùs, qui ſecernitur chylus diſtribuitur ocyùs. Nullum ferè quo populus utatur, cibi genus ſano fugiendum; infirmus abſtineat quantum fieri poteſt à vario & nimium condito, ſanum juvat interdum modico uti, interdum pleniore, alterutrius uſum in brutis moderatur fames & ſitis, hæc œſophagi interiora, hæc ventriculi orificium vellicat, & à diversâ ſuccorum & ſpirituum agitatione excitantur: ad ea quæ conveniunt, feruntur cum impetu, & ea amplectuntur, quæ guſtu, vel odoratu percipiunt bona: ea ſunt quæ in ipſis certos & convenientes cient motus, proprium quippè eſt animantium nihil appetere niſi naturæ accommodatum. Eadem in homine dignoſcendis alimentorum viribus aptitudo, eadem indicia, his plerumque ſpontè abſtinet, ut libidini ſuæ ſerviat. Diei noctiſque viciſſitudo conſervat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quieſcendi, hoc vires reparantur, illo conſervantur. Utrumque in brutis obſervatur, ſed ea ſuſque deque vertit homo, & dum his promiſcuè uti deſiderat, fruitur nullis. Pejor vigiliæ, quam ſomni exceſſus. Quæ debent excerni, non impunè retinentur, vel excernuntur retinenda. Ad excretionem ſollicitat pruritus & vellicatio quædam, huic non reſiſtunt animalia, ſolus homo parere abnuit jubenti naturæ, non audit monentem, vel ſilentem irritat. De animi pathematis non immeritò ſollicitus eſt Medicus, quid valeant quotidiana docet experientia, hanc irâ inflammati, amore æſtuantes, & effuſæ in omni intemperantiâ libidines ultrò confirmant. Non abſimiles in belluis motus à diversâ rerum objectarum impreſſione, ſuccorum fermentatione, ſpirituum agitatione. Qui excitantur in homine, plerumque eaſdem ſortiuntur occaſiones; differunt autem quod anima ſæpius in conſortium adducatur: in brutis tales motus quia naturæ debentur, ſalutares, ſicque certis temporibus excitantur, in homine ſi modum teneant, utiles, ſi excedant, noxii, nonnunquam lethales.

NIHIL tam temerarium tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantiâ, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum eſt ſine ullâ dubitatione defendere. Non novit igitur medicinam qui de eâ perversè ſentit, vel ex eorum eſt numero quorum præcipua eſt cura ventri ſervire, aut indulgere voluptati ſine modo. Fatuus ſapientiæ præcepta non audit, fatuo ſimilis, qui medicinam ſpernit: hæc enim naturæ amica, fruſtrà ſibi vanum & ridiculum medicinæ ſimulachrum proponit plebs imperita, non meretur nomen medicinæ, quod naturæ inſignibus deſtituitur. Nullum homini ſano vitæ genus præſcribit quod ſeverius ſit, omnia ut plurimùm ſana ſanis; vult tamen in victu ſervari modum, neque enim res in vitium cadunt, niſi cum malè fiunt, quæ valet perferre juventus florida, non eadem ſenectus infirma feret; quibus premitur gravis ſenectus incommodis, iiſdem afficiuntur, qui naturæ morem gerere, & medicinæ neglexerunt. Vires ſingulis ætatum muneribus obeundis deſtinatæ citò evaneſcunt, præmaturâ illarum uſurâ, nec non immodicâ perfractæ: hos ſpecies grata continuò relinquit, & etiam-num adoleſcentes juvenili formæ moriuntur, ut induant ſenilem, pro niveo & rutilo inficit ora pallor, ſuccedit naſcenti color funereus, aret ſicca cutis, & contrahitur, quæ præ humiditate creſcere deberet, vel florere. Stant in juvenili corpore rigidi nervi, deliciis, vino, labore, vigiliiſque exſiccati, & attenuati. Qui dum natura dabat vivere feliciter, non valuit moderari, nocte dieque pœnas lugebit ſuas, ſubeunt morbi bene multi & imprudentem occupant mille diſcrimina: dulces lædunt epulæ deliciæ ipsâ ſuavitate nocent, cogitur ab iiſdem rebus ſuſpendere animum, quibus olim frui bonum erat, ut vivat, vivere deſinit. Debilem ſtomachum gravant alimenta grata prius, meliora non proſunt, ſed jacent faſtidita, fit importuna venus ſæpiùs repetita, grata bacchi munera, quibus interdum triſtitiam, vitæque labores feſelliſſe expedit, abuſu fiunt nocentia: ſic corpus vitio conſumitur, & ineluctabili neceſſitate ſolvitur, huic deliciis fracto non potus, non experta proſunt medicamina, diverſis licet obicibus poſitis præſentem ejus ruinam fulcire tentet Medicus: nihil proficit, dum natura negat auxilium, inermis Medicus, quid poſſit? Effœtam juventutem excipit ſenectus oneroſa, fruſtrà robuſtæ prolis quæritur parens vitiatus, Urbanus & litterarum cupidus cutis conſumitur, & areſcit, avarus quamvis largus opum contabeſcit; hos cruciat ambitio, hos exagitat crudelis amor & ſoluit, illos belli durus labor feroces reddit. Quæ non hominem infeſtant mala à naturæ ſemitis aberrantem! Felix ergo qui naturam ſequitur ducem, aut ejus interpretem conſulit medicinam! per illam ſanus felicitèr vivit & ægro ſalutaris præſcribitur diæta, quæ ſi ingrata ſano videretur quia ſanus eſt, illi jucunda videri debet, cui ſanitas per ipſam conciliatur. Itaque vita naturæ conveniens, vita beata, non aliam ſapiens præſcribit Medicus.

Non ergo vivit miſerè qui vivit medicè.



Proponebat Lutetiæ AMBROSIUS-NICOLAUS CHEMINEAU, Senonenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1693.